



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

In festo S. Thomæ Apostoli. De Euangelio 457 & vita eiusdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

In Festo S. Thomæ Apostoli. 21. Decēb.

De Euangelio Festi Ioan. 20. vide 3. part.  
medit. hebd. 1. post Pascha medit. 3.

De vita eiusdem S. Thomæ.

I. **E**Xpende miram diuinæ bonitatis abyssum in Thoma ad Apostolici muneris sublimitatem ab æterno prædestinando, & in tempore vocando, quantumuis graui illius præuiso incredulitatis lapsu: in eodē tam paternè cum reliquis Apostolis ad prædestinatum brauium deducendo; in incredulitatis baratrum lapsum, & quidem pertinaciter obduratum, tam misericorditer erigendo, tam potenter emolliendo, & tam vehementer inflammando, vt illius postmodum zelus gloriæ Christi propagandæ orbis nimis angustus videretur. Suspice & extolle tantam Dei erga illum bonitatem, & similem tibi præstitam humiligratoque animo recale. Gratitude, amor, zelus compensandi infinitam Dei sic eligentis, vocantis, deducen-  
tis quemuis electum, & te præsertim, benignitatem.

Xr 2

M. Quana



II. Quam feruenter ille diuinam erga se liberalitatem, gratuitamque misericordiam pro virili compensare sit conatus. 1. Insigni feruore pœnitentiæ, errorem suum tanto affectu retractando, tantis lacrymis eluendo, tot pijs obsequijs resarciendo. 2. Ardentissimo zelo gloriam Christi propagandi, omnesque à via veritatis aberrantes, si posset, ad Saluatorem suum agnoscendum, adorandum, amandumque pertrahendi; in hunc finem tot vasta maria, remotasque terras peragrando, indefesso spiritu Euangelium Parthis, Medis, Persis, Hircanis, Bactrisque prædicando, tandemque ad ipsos Indos penetrando. 3. Simili ardentissimo zelo pro amore & gloria dilecti Magistri sui sanguinẽ fundendi, quem prodidit ante eius passionem, adhortando condiscipulos formidolosiores: *Eamus & moriamur cum illo.* Et multo magis post eiusdem ascensionem, toties apud tot efferas gentes præsentis caput suum periculo exponendo, tandemque apud Indos Calaminæ, dum ante sacra crucem precaretur, furori Barbarorum irruentium sagittis se primum transfigendum, tum hasta traijciendum generosè offerendo. Quas non eluant

Ioan. II.



criminum maculas lacrymæ triplices :  
 compunctionis, compassionis, amo-  
 ris, quales vbertim speculum verè pœ-  
 nitentis Thomas toties fudit? quas  
 non expient pœnas ijsdē debitas opera  
 pœnitentiæ, zeli animarum, amoris  
 Christi crucifixi? si cum eodem Diuo  
 Thoma sincerè, feruenter & constan-  
 ter vsurpentur? Zelus in his feruorem  
 Thomæ æmulandi.

III. Quàm largiter feruorem eius  
 Christus remunerarit; In hac quidem  
 vita tot nouis gratiæ auxilijs eum præ-  
 ueniendo, lassum confortando, cur-  
 rentem promouendo, pios conatus  
 eius in conuersione tot millium ani-  
 marum peculiari fauore secundando,  
 tandemque gloriosi martyrij gratiam  
 eidem offerendo; In altera repositam  
 iustitiæ coronam, tantis eius labori-  
 bus meritisque debitam retribuendo,  
 cum ineffabili gaudio de tanto nume-  
 ro tot animarum à se conuersarum.  
 Spes similis retributionis, & feruor  
 eam promerendi.

*In festis Natiuitatis Domini, S. Stepha- 25. 26.  
 ni, S. Ioannis Euangelist. SS. Innocentium, 27. 28.  
 Circumcisionis & Epiphania, vide medi- Decemb-  
 tationes ordine assignatas 1. part. meditat. 1. & 6.  
 suis locis.*

*Januar*

X x 3

12



2. Febr.

In festo Purificationis, vide *ibid.* heb. 4.  
post Epiphaniam medit. 2. & 3.

---

24. Febr.

In Festo S. Matthiæ Apostoli.

De Evangelio festi: *Matt. 11.* vide 1. part.  
medit. heb. 20. post Trinit. med. 5.

De vita S. Matthiæ Apostoli.

I. **E**Xpende admirandam divinæ electionis abyssum in Matthiæ in locum Iudæ proditoris subrogando, quem uti ab æterno ad duodecimorum Apostolici culminis thronum olim in cælo possidendum elegitis; de quo *Prou. 16.* scriptum: *Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur*, ita in tempore eidem, cum inter ipsum & Barfabam per sortem missam divinæ suæ voluntatis indicium exquireretur, è cælo suffragium tulit: *Nam cecidit fors super*

*Act. 1.* *Matthiam, & annumeratus est cum v. decim Apostolis.* O quanta gratia sic gratis ab æterno eligi, sic gratis in tempore vocari, gratis tantis gratiæ Apostolicæ prærogatiuis sublimari, ut mereretur accenseri secundarijs fundamentis &c.